

3133

LITURGICI

3134

DCCCXCII.

783 Codex membraneus belg. Sec. XV. Folior. 109. 8. eleganter exaratus, auro et coloribus distinctus, tribusque iconismis picturatis, rudioribus tamen instructus inter sic dicta *Horaria* referendus est; continet enim Officium de S. Cruce, de B. V. Maria, VII. Psalmos dictos de *Poenitentia* cum *Litaniis*, et *Vigilias* Defunctorum. Mensium in praefixo *Calendario* haec sunt nomina: *Loumaent. Sporkille. Maerte. Aprille. Mey. Wedemaent. Hoymaent. Hogstmaent. Gberstmaent. Saetmaent. Horemaent. Smeamaent.* *Calendarium* istud parum populosum est; cum vero inter alios *Belgii* Sanctos ad diem 1: *Octobr.* habeatur *S. baue misse*, idemque *S. Bavo* in *Litaniis*, praetermissis aliis, invocetur, *Codicem* ad *Gandavensem* aut *Harlemiensem* Viciniam pertinuisse conjicio. Nomina *Feminarum*, quarum quondam *κτῆμα* fuit, in calce adscripta, quoniam plebeja fuisse videntur, praetereo.

DCCCXCIII.

970 Codex membraneus lat. Sec. XVI. ineuntis, Folior. nunc 117. 8. eleganter exaratus, et praeter literas initiorum deauratas, depictasque Iconibus X. ornatus inscribitur: *Hore beate marie virginis secundum usum sacri monasterij sancti petri latigniacensis.* Est vero Coenobium istud O. S. B. conditum Sec. VII. a B. *Furseo*

Hiberno ad fl. *Matronam* sex supra *Parisios* leucis, vulgoque *Lagny* dicitur, de quo videnda *Gallia Christ. T. VII. col. 490.* Hinc Icon prima Monachum *Benedictinum* exhibet adstantem illi *Christi* repraesentationi, quam *Ecce Homo* adpellare solent. Inferne Scutum caeruleum visitur cantherio aureo, tribusque per areas liliis, ut videtur, argenteis insigne, quod, quo referam, nescio. Infunt porro: *Calendarium*, in quo miniati 17. Jan. *S. Furseus abbas.* 9. Apr. *Maldegarius conf.* idem fortasse, quem Autores *Artis verificandi Dat.* in Catalogo SS. p. 162. edit. *Parif. 1770. f. Madelgarium*, sive *S. Mauger*, *Madelgare* vocant, *Martyrologio Rom.* ignotus, 7. Maji *Exceptio corporis s. floren.* id est *Florentini* mart. cujus reliquias *Arnulfus abbas* a. 1094. *Latiniacum* transtulit, ut habes *Gall. christ. cit. col. 494.* 20. Maji *Latigniaci commemoratio reliquiarum.* 21. Jun. *Deodatus ep. et conf.* 1. Jul. *S. Theobaldus.* 18. Sept. cui idem *Arnulfus* Templum prope *Latiniacum* extruxit, *Lambertus ep. et conf.* 28. Sept. *S. Florentinus* et *Hylarius* cum octava. 11. Oct. *Anfilio conf.* mihi ignotus. 15. Nov. *Fulbertus ep. et conf.* Sequuntur Initia IV. Evangeliorum partim evulsa, Officium de B. V. M. Psalmi Poenitentiales cum *Litaniis* OO. SS. in quibus praeter jam memoratos invocantur *Foilanus, Piatius, Karagnus*, martyres, *Emilianus* al. *Emmianus, Faro, Mumbolus, Vltanus, Fiacrius,* Agi-